

in quem locum commentatur *Josepb. Karo* hanc phrasin a *Nachmanide* explicari. *Nachmanides* autem in *Biur al hattora* edit. *Venetæ* in fol. f. 70. col. 4. commentatur, illud pallium non fuisse breve instar inducii, sed usq; ad pedes pertigisse, & caruisse manicis. Quares partim ex Orientalium populorum consuetudine, vestes longas gestantium partim ex vestibis tintinnabulis & pomogranatis vestitis, quæ etiam puellis & pueris præcipuæ dignitatis in usu erant, probari luculenter posset.

§. 2.

Hinc in *Miscbna* c. 7. §. 1. scribitur, si præfectus sacerdotum audivisset sonum pedum sacerdotis summi (non vero sonum crurum) quod velum portæ templi oppansum elevarit. *Vid. Jom Tob* in b. l. Hinc etiam *Moses Alshech* in *sepher Torath Mosche* edit. *Pragensis* in fol. f. 152. p. 1. col. 1. scribit, tintinnabula fuisse terræ allisa, & quid illa allisio significarit ibidem explicat. Quo pertinet annotatio *Isaci Arama* in *Akedatb jitzchak* edit. *Venetæ* in fol. f. 138. col. 3. qui Meil pallium fuisse Prophetarum & Pharisaorum scribit, quorum pallia oblonga erant. Præterea *Isaacus Athias* in *Tbesoro de Præceptos* edit. *Amstel.* in 4. f. 16. col. 2. Meil ad imum descendisse asserit.

§. 3.

Cum Judæis faciunt quoque Christiani interpretes, qui teste *Eduardo Leigh* in *Critica sacra* edit. *Amstel.* in fol. p. 129. Hebræorum Meil per vestem talarem, ad talos descendentem, ut & per stolam, & per togam, cujusmodi quoque vestes talares erant, interpretantur. Quibus suffragatur *Joannes Forsterus* in *Dictionary Hebraico* edit. *Basil.* in fol. p. 478. & 450. scribens fuisse vestimenti genus

nus